



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 93. Consultatio Græcos inter & Latinos de Piaculari carcere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.
A.C. 1428.

berum esse ajebant. Tandem in quarta Congregatione vel articulum de Purgatorio, vel illum de Primatu Pontificis discutiendum proposuerunt, relicta Latinis electione. Edixerat quidem Julianus Cardinalis quæstionem de Purgatorio tractandam, de ea tamen non nisi in quinta Congregatione, die quinto Junii celebrata, agi cæptum est.

§. XCIII.

*Consultatio Græcos inter & Latinos
de Purgatorio.*

Igitur Cardinalis Julianus, Græcis Romanæ Ecclesiæ dogma circa Purgatorium explanari postulantibus, exposuit, quod Latini crederent, justorum animas ab omni macula puras, omnique mortalis culpæ expertes confestim in cælum recipi, ac perfectam, æternamque gloriam consequi. Animas vero eorum qui post Baptisma peccatorum reatum contraxissent, quamvis ea detestati fuissent, si tamen ad expiandas ejusmodi neccitas satisfactionem plenam non exsolvisent, nec dignos fructus pœnitentiæ pro perfecta earum remissione egissent, per ignem piacularem esse mundandas, in quo nonnullæ diutius cruciarentur, aliam citius liberarentur attenta peccatorum suorum gravitate: eas vero animas, quæ

tandem plene purgatæ essent, æterna perfrui beatitudine. In peccato autem mortali decedentes confestim ad inferni supplicia detrudi. Ad hæc Marcus Ephesinus respondit, Ecclesiæ Græcæ doctrinam ab hoc dogmate paucis differre, proin se judicare, Latinos quoad hoc dogma facile cum Græcis concordari posse. In sexta autem Congregatione utriusque sententiæ discrimen exponebatur, quod Græci in eo solo positum autumabant, quod Latini animas per ignem purgari docerent, Græci econtra crederent, animas impiorum dejici in locum quemdam tenebricosum, & mœrore plenum, atque in eo temporali hujus afflictionis poena cruciari, & beatifica visione privari; ex hoc tamen mœroris loco precibus, ac sacrificiis Sacerdotum, necnon eleemosynis fidelium purgatas liberari. Præterea se credere affirmabant, damnatos nec cunctas sibi debitas subire poenas, nec justos perfectam consequi beatitudinem, donec eorum corpora ad vitam resurgerent. Hanc Græcorum explanationem Latini sibi scriptam tradi petebant; verum Marco Ephesino, & Bessarione in eandem sententiam non convenientibus, quilibet eorum diversam porrigebat scripturam; ille enim Beatitudinem usque ad judicii diem differendam contendebat. Bessarion autem, Sanctis ad perfectam eorum bea-

Sæcul. XV.
A. C. 1438.

Sæcul. XV.

A. C. 1438.

titudinem nil nisi corpora deesse, affirmabat. Hæc opinionum diversitas in animorum aversionem peperit, nec ab illo temporis articulo ad negotia communem contulerunt operam, nec inter eos voluntatum unio ultra fuit. Paulatim privatæ hæc Sessiones in jurgia, ac contentiones degenerarunt, & mense Julio ad finem vergente ab ejusmodi conventi-
 tibus omnino cessatum, nequidem articulo de Purgatorio penitus deciso; de ceteris enim nihil omnino actum est. Ne ex actis Conciliorum alia memoratu digna pertractata fuisse constat usque ad octavam Octobris diem, ad quam Spondanus primam Sessionem revocat, quæ enim nona Aprilis acta fuere, non tam Synodi sessionem, quam illius indictionem fuisse existimat. Igitur intermedium hoc tempus ceteris, quæ ad Historiam nostram pertinent, eventibus ordine suo recensendis dabimus.

*Spond. ad
 ad an. 1438.
 n. 14.*

§. XCIV.

*Albertus Austriacus Rex Hungariæ,
 & Bohemiæ coronatus.*

Naucler. gener. 48. p. 456 Albertus Austriæ Dux, Sigismundi Imperatoris gener, justis defuncto Regi
Æn. Sylv. Hist. Boh. 55. persolutis, cum conjuge sua Elifabetha
Cochlæ. lib. 9 die prima Januarii in Alba regali summo omnium applausu Hungariæ Rex coronatur.